

109  
1719

M E M O R I A M  
**MEDICORUM**  
**THORUNEN-**  
**S I U M ,**

EX ANTIQVIS HIST. THORUN.

MONUMENTIS RENOVARE  
ET CARMINE ADUMBRARE

VOLEBAT

JAC. ZABLERUS, Pann.

GYMN. PROF. EXTR.



T H O R U N I ,

Impressit Joh. Nicolai, NOBIL. SENAT. & GYMNASII Typographus.

Nobilissimis, Ampliss. & Experientissimis,

DOMINO

# MUSIMONI H M WEISSIO,

Philos. & Medic. Doct.

Itemque Physico Thorun. excellentissimo,

DIEM ONOMASTICUM

D. 28. Octob. Anno 1719.

Feliciter celebranti :

# DOMINO CHR. GAULIKE,

Med. Doct. & Practico celeberrimo :

# DOMINO JOH. VOGETIO,

Med. Doct. & Practico famigeratissimo :

# DOMINO FAB. ERNESTO HORNIO,

Med. Doct. spectatissimo ,

PATRONIS & FAUTORIBUS SUMMIS,

MNEMOSTYNON HOCCE  
MEDICUM ,

Ea qua par est animi

Observantia & cultu

I Cum voto omnigenae prosperitatis T

D. D. Q.

autographum Tymonii NOBIS NICOLAI Tymonius

KSIAŻNICA MIEJSKA  
IM. KOPERNIKA  
W TORUŃIU



Uper Thespiades tenui cecinere Minerva  
Presbyteros sanctosque duces, quos incluta quondam  
Vistula mirata est pulcro vicina Thoruno.  
Multum illi ingenio & scriptis valuere: diserti,  
Constantes, virtute graves, vitaque decori.  
Non odiis, non blandiciis cessere; sed illos  
Magnus honos superum, recti mens conscientia, sana  
Religio, populique salus, incumbere Verbo  
Impulit, & sacris vigiles impendere noctes.  
Horum fama virum fastis celebrata perennes  
Ducet in orbe moras, nulloque intercidet ævo.  
Nunc iterum Pimplea jubet tentare lacertos,  
Dicereque illustres Medicos, quos læta Borussis  
Sidera demisere polo volventibus annis,  
Et quos in primis celebrata Thoronia myrto  
Implicitæ eterno & celsum caput æthere miscet.  
Tota quibus natura patet, qui semina mundi  
Tellurisque arcana tenent, queis dia potestas  
Indulxit validis morbos ægitare flagellis,  
Et vexare febres fessisque expellere membris  
Trans Styga, trans Erebum, actenebris sepelire Gigantum.  
Hinc canere incipiam, quando me maximus urget  
Artis honor, facilesque jubent cantare Camœnæ.

Ac merito in Vestras carmen diffundere laudes  
Sustineo, quos magna parens sibi fecit alumnos,  
Queis reserata dedit rerum mysteria, quanta  
Altra vel effundunt, gremio vel Tethyos unda  
Sacra tenet, tum Vesta tegit, Plutusque cavernis  
Dona metallorum ac lapidum pretiosa recondit.  
Nam si foedatis animis abstergere fordes,  
Pellere avaritiam, Venerem, moresque superbos,  
Menteisque immersas cœno lucrarier astris,  
Magna sacerdotis laus est multæque salutis:  
Tum magnus debetur honor, si corpora sana,  
Sidereæ mentis penetralia, servat & auget  
Naturæ consultus, & atros pellere morbos  
Intendit, moles animam ne deprimat ægram.  
Vos igitur nostri præfulgida sidera cœli,  
Si rerum natura parens Vos forte vacare,  
Pallida si Morbona sinit requiescere ab ardua  
Mole, altas quæ sæpe solet distingere mentes:  
Ferte aures patulas, linguis animisque favete,  
Dum celeri Famæ Vestrae præconia laudis  
Expono numeris & commendare labore.  
Svavius ibit opus, modicum si gratia carmen  
Juverit, atque aliquis Phœbus dignabitur illud.  
Tuque simul WEISSI, custos cœlestis Hygeiæ,  
Quem tantum Hippocrates stupet & Galenus alumnus;  
Natalemque diem mecum cupit esse beatum:  
Dexter ades, vatemque juva, neu forte fatiscat.  
Pegaseus sonipes æquo Te judice curret  
Acrior, atque lubens strictas tolerabit habenas.  
Sic mihi, dum Clio liquido spatiatur Olympo,

A

Applau-

Applauduntque deæ variis concentibus astra,  
Melpomene cedet validas in carmina vires,  
Fonteque Dirceo sitientia proluet ora.

Sed quid principio referam, quæ exordia sumam,  
Dum claros cupio Medicos narrare Thoronæ,  
Artisque Atlantes tenui deducere plectro?  
Nam veluti, qui sollicitus rimatur arenas  
Montibus Eois, dubitat quam condere gemmam.  
Debeat hinc adamas atque hinc invitat iaspis,  
Lumina pemulcet viridi fulgore smaragdus,  
Præstringitque iterum scintillans igne pyropus:  
Sic mihi suspensam fert rerum copia mentem:  
Quos primo cantare loco, quos deinde secundo  
Fas siet, addubito: cunctis quod adorea laudis  
Ingenio ex æquo parta est, Famaque reposta  
Limine præcelso, & pariter præcordia Titan  
Conscia naturæ finxit meliore metallo.  
Verum age mens, Phœbi curas studiumque perenne  
Læta refer, primus Phœbus quando intulit orbi  
Pharmaca, divinosque ex arte invenit honores.  
Ille auris liquidis nuper delatus Olympo  
Constitit, ut, quales Medicos produxerit ætas,  
Musarum emporis altos, literisque renatis  
Viderit illustres, nossetque & præmia ferret,  
Adventasse Deum sublimis sensit Olympus,  
Subsiliit sonitumque dedit, tum conscientia rupes  
Ipsa Dei sacrūmque nemus simul omne tremebat.  
Fonte Pegaseo quoque largior unda fluebat,  
Ridebant docti permisti floribus amnes.  
Et quid multa? throno residens Latonia proles,  
Aonidum præcincta choro, sic ore loquuta est:  
Religionis honos postquam caligine pulsa  
Redditus est orbi Latiūmque emersit ab umbris,  
Græcia & Ausoniæ est constanti fædere nexa,  
Innumeros vates Arpinæque artis alumnos  
Conspexit Titan. Pars illustrare Platonem  
Parsque Stagyritæ nodos dissolvere cœpit.  
Quam multi historiis insudavere notandis,  
Grandia ne regum atque heroum facta laterent.  
Quot cœlo æquavit, subtile dia Mathesis  
Quos fecit, regnisque simul dedit esse salubres.  
Ac ne Theilogia regnum confisteret artis  
Limitibus, linguisque dedi & mysteria nosse  
Magna Palæstine. Hic Arabum monumenta volutat,  
Ille Syros, iste Aethiopas, Pœnosque vetustos  
Scrutatur: gremio quid Persæ, quidve Chinenses  
(Gens abstrusa) suo foveant, hoc panditur ævo.  
Dicite sed Musæ, quales produxit Olympus,  
Aoniis totum qui fontibus irrigat orbem,  
Qui nuper fuerint illustres arte medendi?  
Sive illi lentis coixerunt igitibus herbas,  
Pæstanasque rosas oleum sudare magistri  
Discipulos docuere suos; sive arte metallum

Ætnæ

Ætnæ liquidum dederunt, melioreque forma  
Imbuerunt ; sive, humano dum viscere mergunt  
Sæpe manus, fibras tenues, occultaque vasa,  
Oscula venarum, & quali compagine tota  
Corporis humani (res ardua) machina constet,  
Solliciti indagant & vincula cæca retexunt.  
Dicite Pierides sanctæ mea cura sorores,  
Qui siccas pepulere febres, cordisque dolores,  
Qui podagram, phthisin, & sacros offibus ignes,  
Morbosque astrales, stygiæ contagia pestis,  
Mille lues alias præstante Machaonis arte  
Sustulerint. Nolo veteres producier amplam  
In scenam Medicos, quorum notissima servat  
Nomina & Ausoniæ tellus & fama Pelasga. 120  
Quin illos proferte alacres, quos inclutus orbis  
Pulsa barbarie, literis quos Roma renatis  
Insignis habuit vitæque artisque statores.  
Prodeat Italia, imperii lætissima nostri,  
Armorum, legumque parens, fœcundaque doctis  
Ingeniis, quæ prima dedit cunabula Musis,  
Postquam illas acies jussit lunata tyranni  
Ire loco, ac dominam superatis Alpibus orbis  
Grajorum ditare libris, ornare magistris.  
Prodeat Hesperie rutilo fulgentior ostro, 130  
Enarretque viros, quales Epidaurius heros  
Et gremio natura fovens concesserit illi.  
Gallia docta veni, cui candida lilia vestem  
Prætexunt, roseis Charites residere labellis  
Dignantur : dic divitias, quas munere divum  
Læta tenes. Tuque Anglia ades comitante Batava  
Gente, pares animos nacta & subnixa columnis  
Regibus, atque ducum effusis provecta talentis.  
Huc ades & causam Germania celsa perora,  
Heroasque effer medicos, quos ordine longo 140  
Suspicer enatos. Vos Balthica dicite stagna,  
Vistula Sarmatici nymphæ pulcerrima regni :  
Incola Carpathiæ, Grani potator & Istri :  
Dicite, Pæoniæ si quos sollertia dextræ  
Claravit, succos studio rimata fideles.  
Huc properent, laurum capiant, pulcrumque corollam,  
Quam dudum Aonides nexam fervantque foventque,  
Muscentes jubat æternum famamque perennem.  
Dixerat hæc Phœbus, mox barbiton increpat. Olli  
Calliope roseo sic protinus ore loquuta est : 150  
Phœbe pater, merito cura hæc tua pectora tangit :  
Pharmacæ primus enim miscens mortalibus ægris,  
Pulsa morte dabas aura vitaque fruisci,  
Arte salutifera æternos es nactus honores,  
Concilio divum insertus cœloque reposust.  
Sed quid opus (veniam dictis licet ante precari)  
Tot gentes excire locis, & sistere Olympo  
Mille viros? Non Italiæ, non Galliæ, & ipsi  
Nunc vacat Hesperiæ. Studiis asperrima belli

Teutona gens pulsat Siculos & tentat Iberos. 160  
Cimbria jam dudum sœvis colliditur armis.  
Anglia per vada salsa ruit, comitesque Batavi  
Gradio cupiunt non & litare Galeno.  
Quin, illi inter se dum fervida prælia miscent,  
Nomina pace Tua Medicorum pandere possem,  
Quos gens quæque tulit celebres, atque inserit astris,  
Et quorum æterni iverunt in sœcula libri.  
Optaremque simul, piscofa Borussia quantos,  
Cynthie, produxit Medicos, exponere verbis.  
Sed me jam pridem famosa Thoronia jussit 170  
Thesauros proferre suos & dicere natos  
Ordine, quos etiam ridens adamavit Apollo.  
Prussiacam terram, qua limpida Viitula stringit,  
Divesque electro Oceanus qua proluit undis,  
Tres habitant æqua connexæ sorte sorores.  
Quæ propior pelago est opulenta Gedania, magnis  
Auctibus evecta ad rerum fastigia summa,  
Immenso præcincta mari munitaque celsis  
Aggeribus, reges ridet Martemque ferocem.  
Hac Elbinga minor, doctoque instrueta Senatu, 180  
Ædibus & templis ornati ornatior atque Lyceo,  
Olim dives opum, quando hac statione Britanni  
Et portu poterant pulcras deponere merces.  
Tertia, quam dixi, turrita THORONIA magnum  
Nacta olim nomen, regumque evecta favore,  
Civibus atmatis gaudet, simul æde Minervæ  
Ac Themidos clarum tota caput extulit ora.  
Fulget imaginibus priscis titulisque superbit  
Doctorum, queis Phœbe tuus celebratur Olympus.  
Claruit in primis Medicis, qui sœpe salutem 190  
Procurare urbi, lentam depellere pestem,  
Exarmare febres poterant & sistere manes.  
Si tamen est animus cunctos ex ordine claros  
Noſcere, & æterna dignari nomina lauru:  
Cynthie, Mercurium jubeas producere manes,  
Qui dudum Elysiis sylvis spaciantur & hortis.  
Horum facta Tibi facunda Thoronia promet,  
Dictisque evincet, tot divina arte fuisse  
Antiquis similes, qua Prussia tenditur alma,  
Quot literatores Græcae Ausoniæque peritos 200  
Lingvæ, & cum stellis numero certare putasti.

Annuit his dictis Phœbus, iubet ire nepotem  
Atlantis Maja genitum, & Plutonia regna  
Tentare, ut superas possent evadere ad auras,  
(Ni fata obſtant) quæ pulcra Thoronia quondam  
Extulit, & Phœbo laudavit pignora Musa.  
Ergo dei monitis parens Cyllenius ales  
Affumit virgatæ & pinnatas subligat alas.  
Sic monte emissus celo ruit ocyor Euro,  
Immensum magnis dum passibus æthera findit,  
Qua volat ambrosiis afflantur odoribus auræ, 210  
Præsentisque dei vultum ac vestigia signant.

Et jam permensus spatium profundius, almam  
Tellurem pedibus tangit sedesque beatas,  
Ver ubi perpetuum ridet, solesque benigni  
Heroas adspiciunt natos melioribus annis.  
Illi plaudebant pedibus Pæana canentes,  
Gens secura mali: non illam Sirius ardens,  
Non Corus, nudos nivibus qui conspuit agros,  
Afflabat: non livor edax, non pallida cura,  
Non telum sternebat humi. Pax aurea ubique,  
Summus amor, membrisque vigor manet usque perennis:  
Non cani immutant faciem, non ruga senilis.  
Constitit hic subito turba Cylleus heros  
Fortunatorum cinctus, mox voce sonora  
Infit: Adeste omnes, quos clara Thoronia quondam  
Materno fovit gremio, coluitque medendi  
Artibus illustres. Volentes stamina Parcae  
Cum Jove permittunt, & vester Phœbus, Olympo  
Qui celso residet, mecum jubet ire frequentes. 230  
Huc proferte gradum, veteres emergite ad auras  
Me duce: Vos Phœbo patrias & nomina vestra  
Dicite, Pæonia si quis præcelluit arte.  
Causam suscipiet dicetque Thoronia mater:  
Sed laurum æternam doctus præcinget Apollo.  
Dixerat: heroes multi penetrantque ruuntque  
Per socios, & Mercurium per inane seqvuntur  
Ætheris immenso tractu, qua magnus Olympus  
Terris consurgit mediis, & sidera pulsat.  
Ut magnum sensere deum doctasque sorores, 240  
Scindit se nubes, claraque in luce refulgent  
Elysii cives. Illis se lætior offert,  
Natosque agnoscens complexa Thoronia mater  
Ad Phœbum dicit, cui supplex talia fatur:  
Maxime Mūsarum præses, quem pharmaca primum  
Autorem agnoscunt, vitam qui vatibus affers,  
Magnosque inspiras animos aperisque futura!  
Fama potens nostras etiam pervenit ad oras,  
Vistula ubi pelago propior vada falsa Trionum  
Miratur, quid Phœbe pares, quid scire labores. 250  
Scilicet Europæ Medicos pernoscere gestis,  
Artibus ingenuis quales literisque renatis  
Illa dedit, fovitque recens hæc doctior ætas.  
Et jam quos gremio suscepit Italis alma,  
Gallia & Hesperie, Germania, quosve Britanni  
Et Belgæ heroas numerent, queis nymp̄ha Borussa  
Defluat electrum & gemmantes porrigat herbas:  
Illæ omnes dicent clauso sua pignora Jano.  
Ait ego cum natis adsum, qui sæpe salutem  
Attulerunt urbi, atque insignes arte medendi  
Profectus fecere. Dato mihi Phœbe precanti,  
Dumque meæ sobolis celebrata volumina, famam,  
Nomina pertexo, dictis advortito mentem.  
Postquam majores pulcrum statuere Thorunum,  
Turreisque evalidæ steterant: *Astræa* vicissim

Collectos gavisa homines & cernere vicos,  
Ipsa salutiferas leges, ubi Curia surgit,  
Ambrosiis scripsit digitis jussitque tenere.  
*Eusebie* ritus docuit cultumque superni  
Numinis, ac templis auratas addidit aras, **270**  
Presbyterosque pios, populum qui sacra docerent.  
*Pierides* junctis operis Pallasque Lyceum  
Dedicat Ausoniis literis simul atque Pelasgis  
Delubrum esse jubet, durare in saecula multa.  
*Copia* læta suo profudit munera cornu,  
Munera queis possint opulentæ reddier urbes:  
Insuper & flumen compescuit aggere longo  
Vicinum, jussitque alveum servare secundum.  
Illo flava Ceres arvis prognata potentum  
Sauromatum vehitur, magna & granaria turgent. **280**  
Ne tamen atra lues civis depasceret, orbos  
Aut faceret natos & matres prole carentes:  
Accessit formosa *Salus*, herbasque salubreis  
Plenis dispersit calathis, curæque medentum  
Urbem commisit (si vexent fata) tuendam.

Primus hic est Janus **BELLÆUS**, sidere fausto  
Civibus oblatus: cuius solertia cunctos  
Defixos habuit, devinctum cura Senatum.  
Sane habui civem magnum fovique lubenter  
Gvilelmum Haltovium, mihi gratum artisque peritum **295**  
Pæoniae: ast illum fata invidere Borussis,  
Lipsiacas etenim studiis ornavit Athenas,  
Et Martisburgi sacris operatus utrumque  
Officium explevit. Multos in fœnore nummos  
Ille habuit, Patriæque memor non pauca remisit  
Postremis tabulis. Servat solertior illas  
Curia, posteritas civis miratur amorem.  
Bellæi tamen integritas doctrinaque multis  
Opportuna fuit, Patrum meruitque favorem.  
Nec nocuit statuisse modum quid posceret ille, **300**  
Quæ Cives & quae peregrini munera ferrent.  
Pellere avaritiam decuit, quæ gurgitis instar  
Omnia consumit, patulis & faucibus aurum  
Undique rimatur: peregrinæ prodiga vitæ,  
Dum sibi sit melius. Tamen illi cura Senatus  
Et sedem & cultum vitæ prospexit honestum.  
Contentus partis & erat satis ille beatus  
Bellæus, bellii insuetus, celebrataque primis  
Ob decus atque fidem perdurant nomina fastis.

Hic, qui grandævus Bellæo proximus adstat, **310**  
Ille est **MONTAGRIUS**, quem docta Silesia misit.  
Mons est exilis, qui nomen traxit ab auro,  
Venis auriferis dives, & tempore longo  
Abdita visceribus fovit fuditque metalla.  
Hic natus, magno ingenio quod præditus esset,  
Artibus eminuit cunctis, quas dia potestas  
Mortales docuit. Patrium primo ille Lyceum  
Ornavit studiis, & mox Culmense labore

Hercu-

Herculeo formavit, & amplio lumine mentes  
Perfudit juvenum. Celeberrima Leucoris illi 320  
Haud invita dedit summos contingere honores.  
Magna quadragenis annis stipendia gratum  
Contulit & longa decoravit laude Thorunum.  
Ingenio quanto & qua polluit ille Minerva,  
Dicant aureoli libri, quos dexter Apollo  
Inspiravit ei. Nam quid Meteora per omnem  
Æthera, quid stellæ valeant cœlumque profundum,  
Mens hominis quantum vegetet diffusa per artus,  
Quid Logice mentem, varios quidve Ethica mores  
Adjuvet, hæc inquam facunda volumina monstrant. 330

Non plâne incelebres hoc CZIRENBERGIUS ævo  
PYRNESIUSque fuere: illum prælustre Gedanum,  
Hunc opportune dominatrix Austria misit.  
Nimirum morbi bruta tellure coorti,  
Aut ira superum præcelso sidere missi,  
Crinibus extensis arsit cum forte cometes,  
Surgebant subito ac spoliabant civibus urbem.  
Semina multa volant pestis, pecorumque hominumque  
Maxima fit strages, depascit flamma medullas,  
Corpora tota rubent, atque imis diditur ignis 340  
Visceribus: turgent oculi, spumantiaque ora  
Desiciunt, cuncta apparent præsagia mortis.  
Tunc opus est animis & multa valentibus herbis,  
Inferis quum tota datur gens, atque sepulcrum  
Assurgunt moles, & tabem contrahit æther.  
Ast illi intrepidi miscebant pharmaca, mater  
Qualia vel natura dedit, vel dextra Tonantis  
Tempore monstrarat: tristes quia pellere Parcas  
Cymbamque aversam cupiebant ire Charontis.  
Defecitque malum rediitque salubrior aura 350  
Numine placato. Credo respexit alumnos  
Per strages hominum, per multa cadavera eentes,  
Parceret ut fessis grataque quiete foveret.

Iamque MOCHINGERI virtus & facta merentur  
Dicere, quam celebris quamve utilis ille Thoruno.  
Magnusque ingenio fuerit. Nam prima mederi  
Morbis cura fuit patriæ & donare salutem.  
Sed quia cœlestis fuerat facundia divum  
Munere concessa, & mentis vis ignea, robur  
Invictum, rerum ac regnorum maximus usus: 360  
Hinc subito emersit Consul, fascesque petivit  
Burggrabii, magnique tulit suffragia Regis.  
Ille bonis partis sapiens quia sciverat uti,  
Non tenebris damnavit opes nec condidit antris,  
Ire sed ad Musas jussit clarumque Lyceum.  
Hujus ditavit multis armaria libris,  
Et legavit opes solidas, voluitque perennes  
In fontes fluere Aonidum doctosque magistros.  
Nimirum solus sapiens scit munera terræ  
Dispensare modo & rutilo dominarier auro. 370  
Hinc ornat patriam, reficit labentia templa,

Suble-

Sublevat afflitos, sacras ante omnia Musas  
Vatesque innocuos omni dignatur honore.  
Quid mirum, si fama volat sique incluta virtus  
Æternum vivit, quam condet nulla vetustas.  
At qui nec patriam nec pulcas Palladis arteis  
Æstimat, ille licet Crœsi Crassique talenta  
Conglomeret lapidesque omnes convertat in aurum,  
In tenebris jacet & vanum sine nomine corpus,  
Non superis gratus, docto non cognitus orbi: 380  
Felices Musae, si Mæcenatibus illæ  
Talibus effulgent, rutilas si dives arenas  
Despumat Paetolus, & Hermi ripa metallo  
Exundat. Sic Pindus ovat, sic turpis egestas  
Pellitur æternisque Helicon valet incrementis.

Fata Mochingerum postquam rapuere, POTENSAM  
Ausoniæ gens clara dedit. Nil doctius illo  
Vistula conspexit, subitoque inclaruit ora  
Prussidos. Hic etenim genitalia semina rerum,  
Terræ divitias, atque oblucentia cœlo  
Sidera cognorat. Multo ille potentior usu,  
Dum brevibus gyaris ægros sanabat, amore  
Magnatum meritus, celsum caput intulit astris.  
Felix, quod fidos habuit coluitque sodales.  
HIROVIUM, quamvis hic mente ferocior esset,  
ROCHOCIUMque pium medica nulli arte secundum. 390

Hunc mihi Phœbe pater clementior adspice. MAGNUS  
Hic TYDICÆUS erat: præclara gente Gedana  
Editus, excelsæ Sophiæ nutritus in hortis,  
Dimissa patria voluit decorare Thorunum. 400  
Quanta salus urbis, quanta huic illustre Lyceum  
Debet, ob immensos condensatosque labores!  
Ille bonis literis formavit nempe juventam,  
Ille salutareis afflictis miscuit herbas,  
Et contra osores artis defendit honorem.  
Spirat adhuc frugisque bona durare libellus  
Sæcula multa potest, quali perstrinxit abusum  
Artis Pæoniae. Nempe Jatromastigas omneis  
Mordaci sale defricuit repulitque diserto,  
Quod nequeat Momus petulans arodere, scripto. 410

Post hunc enituit non uno sidere Thorna.  
Rhaetia Lanfrancum LAZARONUM plurima passum,  
Namque Evangelium constanti mente tenebat,  
Submisit: CUPIUSQUE alia regione fidelis  
Adfuit: AMPLIAS rebus cum laude gerendis  
Præfuit, & regum multum versatus in aulis  
Exemplo docuit, Medicos afferre medelam  
Posse & corporibus, posse & sanare jacentem  
Consiliis urbem, sæpe & moderarier urbem.

Sistite vos Phœbo junctim mea pignora, gressum 420  
Huc proprius fert, ut meritis encomia vestris  
Digna reportetis. Perfundunt gaudia peetus,  
Qvum Te MATHESIUM venerandi cerno nepotem  
Presbyteri, quem tum vidit Joachimica vallis  
Myftam

Mystam naturæ scrutatore inque metalli,  
Maxima visceribus terræ cum copia laxis  
Venerat argenti, atque Alemannum impleverat orbem.  
JANICHJ, quem delicium columenque beata  
Viderat urbs cum BORBONIO, MEISNERIDE, BOIO:  
Vobis astra patent, victoria tempora laurus  
Contegit, & vobis ridet formosus Apollo.

In manes ingrata tuos, dexterrime SCHOLTZJ.  
Ipsa forem, ingenium si lætum artesque tacerem.  
Te tellure mea felici luce creatum  
Et fovi gremio & cunabula læta paravi.  
Te Lugdunenses doctum fecere Batavi:  
Te Cives vitæ & natum dixere statorem:  
Te nec Ephemerides, quales Germanica virtus  
Edidit, ignorant: nomenque inscriberet astris  
Uranie, nisi te nosset non laudis avarum.  
Quid te PISTORJ dicam? Tu nempe redisti  
Ad patrias ædes Patavinis doctus Athenis,  
Civilem meritus frustra indignante coronam  
Invidia. Excellens ASTROMONTANE manebas,  
Dum constans fidei fueras melioris alumnus.  
Sed te Prutheno detraxit gloria cœlo,  
Sarmaticasque gravem jussit popularier umbras.

Relliqua, dum Phœbus patientes commodat aures,  
Expediam brevibus clari ornamenta Thoruni.  
BLANKIUS haut etenim nostris inglorius oris  
Eminet, & Patavi longæ commercia famæ  
Multa refert, grandi Rectoris munere functus,  
Inter & Artistas Italos caput extulit arduum.  
SCHÆVIUS Holsatus nihilo minor, alta Lycei  
Gloria, Cæsareo gestavit munere laurum.  
Illi nil clausum fuerat, seu sidera spectes,  
Seu vires naturæ & molem corporis hujus.  
Sic ille immenso ingenio connexa tenebat  
Omnia, quæ paucis æquus concedit Apollo.  
Ast huic in medio vitai stamina Parcæ  
Difficiles rupere: ivit, qua stellifer orbis  
Pandit iter claris propiusque Hyperionis astrum.

Laudibus atque utinam dignis maestare potessim  
SEGERUM Noricum! Glomeratis obruor undis  
Scriptorum, quæ docta dedit doctissimus orbi:  
Ætatemque ferent, Phœbus dum lampade mundum  
Æterna lustrabit & ibit stellifer axis.  
Quæ non visa illi est Academia? Leucoris alma,  
Pindus Plessiacus, Mons Regius, Altorfinum,  
Rauracum Basileia, hunc Hafnia Cimbrica, magnum  
Sequana mirata est civem Rhenusque bicornis.  
Quantis hic studiis clarenteis orbe Britannos  
Invisit, flavusque Ister mitescere fluctus  
Hoc viso increpuit! Stupuit Bojoëmica tellus,  
Teutona gens etiam fasces sublimior illi  
Arte dedit medica: summos BAUHINUS honores  
Contulit ex æquo. Patriis suscepitus Athenis  
Cœlesti iugendo poterat clarescere magnus.  
Munera sed majora illi servare reposta

C

Fama

Invisitque alio terras sub sole calentes, 590  
Inferet Elbingæ doctam Permessidos undam,  
Artis Pæoniæ clara argumenta daturus.  
Illi omnes varias peragrabunt instar Ulyssis  
Terrasque tractusque maris : quid Gallia pulcri,  
Anglia quid magni teneatque Batavia docti,  
Visceribus quid terra premat, quid Tethyos unda,  
Flora quid in pictis, Zephyri pulcerrima conjunx,  
Hortis possideat, totum hoc indagine mentis  
Investigabunt, pellentque potentibus herbis  
Agmina morborum, vitæ lucisque statores. 600

Cresce ætas fecunda viris, floresce Thorunum  
Ingeniis : pateant & celsa palatia Regum  
Arti fidereæ, duretque in secula nomen.  
Quantum Trinacriæ vertex attollitur Aetnæ,  
Quantum Atlas cœlo propior stellisque recinctus:  
Tantum nomen eat, facunda Thoronia, natis.  
Nolo indonatos tamen hoc dimittere Olympo.  
Calliope, ornato viros mihi floribus illis,  
Gloria queis innexa nitet, vatesque diserti  
Instar apum quando stipant purissima mella, 610  
Transmittunt sæclis encomia longa futuris.  
Dixerat hæc Phœbus, citharamque impellit eburnam,  
Et mox concilium docti dissolvit Olympi,  
Elysiosque cohors repetit Machaonia campos.

Felices animas, queis hæc encomia Phœbus  
De tulit, & claris signavit nomina fastis!  
Ite bonis avibus magni, & plaudentibus alis  
Remigio Famæ, magnus qua diditur orbis,  
Exuperate auras, humilesque relinquite terras.  
Ecce salutiferis tellus sese undique Vobis 620  
Floribus exornat, stillant viridaria succos,  
Læta ferunt Vobis medicamina saxa, metalla,  
Gemmæ, & Erythræo legitur quæ littore concha.  
Ad Vos respiciunt ægri, manibusque beatis  
Oscula defigunt, onerantque anathemata menfas.

Felix in primis Excellentissime WEISSJ,  
Cujus festa dies agitur, carmenque sonorum  
Imperat Aonidas cantare & dicere laudes.  
Mensibus alternis Horæ Tibi prima dedere  
Ubera, & ipse Tonans urbique artique dicavit. 630  
Excellens natura parens Tibi maxima rerum  
Ingenium mentemque dedit, pernosceré sacras  
Herbarum vires, & qua compagine moles  
Corporis exurgat, teneros firmare quid artus,  
Pellere quid morbos possit, quid frangere lethum.  
Hinc adeo, si forte aliis regionibus absens  
Sarmatiæ fers latus opem, tum crede Thorunum  
Ferre moram nequit & queritur Te tristis abesse:  
Tantus amor fidi Medici, fiducia tanta.  
Ut cum forte graves accedit Sirius ignes, 640  
Prata negant herbas & flores invidet hortos,  
Rivus siccat aquas, nullo depicta colore  
Ridet humi facies, pereunt rubigine fruges,  
Squallida cuncta jacent solis combusta calore.

Juppi-

Juppiter at postquam dispersit lætior imbræ,  
Prata ferunt herbas & flores imbuit hortus,  
Stillat rivus aquas, vario stellata colore  
Cuncta nitet tellus, gravidas miratur aristas  
Et ramos etiam curvantia poma colonus,  
Omnia læta vident cœlesti animata vigore. 650  
Felix forte Tua sis, spectatissime Fautor,  
Qui docta versare manu & retinere salutem  
Novisti. Flueretque utinam felicior hora,  
Ut junctis operis Tibi purpureos amaranthos,  
Vel violas, vel lilia, vel faves hyacinthos,  
Vere novo legeret plenis GALATEA canistris !

Sed quid ego divam, cui sacra jugalia curæ,  
Accerso, aut cupio geminatas reddere curas ?  
Vivitur ingenio : nomen sine conjugé magnum  
Quæritur, & libri natorum nomina supplent. 660

At tu, qui magnum frænis æqualibus orbem  
Sol regis, & certo redeuntia sæcula motu  
Distingvis : fac ire dies celebratior ista  
Possit, & incolumi per plurima lustra redire.  
Quæso hoc familiæ dederis pulcroque Thoruno ,  
Et dederis vati, quando omnia prospera captat:  
Ut sine nube dies remeet vigeatque perennis ,  
Hoc nostro hospitio Musarum, Epidauria proles.

Destillare nouos facias ex æthere rores,  
Æternumque simul nectar via lactea fundat,  
Thesauros det terra suos, dent coerulea ponti :  
WEISSIUS ut possit firmis compescere vinclis  
Omne malum, ac fese claras attollere in auras.

Astra favent votis : innectunt Horæ amarantho  
Nomen WEISSIADÆ : lumen sol aureus addit.

Parcite, quod supereft, vati clarissima mundi  
Lumina Prutheni, profugus quod dicere Vestras  
Sustinuit laudes levibusque intexere chartis.  
Parva tamen dixi: virtus majora meretur ,  
Quæ non ingenio, non versibus assequar ullis,  
Ipse mihi Phœbus quantumvis carmina dicet,  
Et fons Pegaseus totos mihi proluat hortos.  
Hocque magis veniam dabitis, quia semper honore  
Eximio colui Medicos, quos regna tulere  
Martia Pannoniæ, & plureis justo ordine mittent.  
Carpathus aerius nam qua se ad sidera tollit ,  
SPILLENBERGIADES æternum nomen adepti  
Leucopoli, (\*) morbos persanavere malignos :  
Arte potens medica quorum vestigia prensat  
SCHWABIUS, ingenio magnus felixque medendo. 690  
Fragari, (\*\*) lentæ quod proluit unda Torissæ ,  
Illustres ubi Gymnasium tenuere Camœnæ ,  
Invidiam potuit dentemque laceffere Momi  
FRIEDELIUS: sic ille luem compescere norat,  
Impete quæ vario teneros dejecerat artus.  
Hocque PATERENNUS senior, compendia quærens ,  
Sæpe flagellavit morbos, quippe arte secandi  
Eminuit. Non secta illi suspectior (†) unquam

D

Non

(\*) Leutschovia. (\*\*) Eperiessinum. (†) Sociniana.

Non livor nocuit: vivit post fata superstes  
Fama viri. SANCTA CRUCII sollertia quanta 700  
Extiterit, Chymici testantur nempe labores.  
Ille metalloruni norat quia semina summum,  
Arte apicem tenuit, panaceaque munere divum  
Ignis ope emersit, gemma pretiosior omni.  
Floret adhuc magnis Medicis Fragopolis alma,  
HAMBACHERO felix, cui civica multa parata est  
Quercus, ob erectos civiles latamque salutem,  
Lætaque RAYMANNUM miratur patria civem.  
Ac ne Cassoviæ laudes pulcrique Posoni  
Accumulem, queis magna etiam sua nomina crescunt, 710  
Casibus & morbis MOLLERUM mille probatum  
(Quid non docta potest pietas?) stupet accola \*\* Grani.  
Isti omnes HELLENBACHIO, natalibus orto  
Magnificis, palmas cedunt. Augusta fidelem  
Aula illum quoties vidit celeremque medendo!  
Pannona gens supplex quoties tulit aurea dona,  
Ut morbos rabidos patrio depelleret Istro!  
Unicus infelix hos inter LANGIUS exul,  
PRINCIPIS extorris quando perdurat Achates  
Fidus, Bistonii quem jam sovet aula tyranni. 720  
Quanta illi morum integritas, quam vultus amoenus,  
Quam svave eloquium, quanta experientia rerum!  
Ast hæc Pannoniæ quondam clarissima stella  
Threicio cœlo (sic volvunt fata) micabit.  
Hos inquam heroas stellanti inscribere cœlo  
Quid prohibet, doctisque simul sacrare Camenæ?  
Nam qui naturæ mysteria magna retexit:  
Qui vigiles curas sollerti pectori versat,  
Ut bene sit plebi, & labentia sœcula firmet:  
Hic generi humano deus est, hic vivere dignus, 730  
Vivere per libros, relegat quos doctior ætas,  
Littora dum venti ferient, polus astra rotabit.  
Ast cui complacuit tenues sectarier artes,  
Classica qui sequitur, lucrumque in sangvine ponit,  
Vomere qui brutam didicit proscindere terram,  
Cœrula qui verrit, quive Acroceraunia saxa  
(Infames nautis scopulos) transmittere svevit:  
Prodigus ille quidem vitæ tentare videtur  
Maxima: sed duri superest spes una laboris,  
Effugisse famem aut loculos distendere numis: 740  
Cætera cum letho intereunt, abit ocyor aura  
Et labor & fama, atque ipsa est sibi gaza sepulcrum.  
Sed lateant sane æterna caligine pressi:  
Misatis est claros Medicos cecinisse Thoruni,  
Laudisque in partes patriam traxisse novercam.  
Jam fessum Pimplea monet componere vela,  
Atque novis ventis puppim remosque parare.

\* Civitas Montana Neosolium.

